



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvæ Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

58. De Talentis à Domino seruis distributis ad negotiandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

d Marc. 13.  
37.

quæ verba memoriæ impressa semper me habere decet. Siquidem vt Sanctus Marcus ait, ipse CHRISTVS dixit: d. quod vobis dico, omnibus dico; *Vigilate.* Quare meipsum illis animare & excitare debeo, dicens: anima mea, vigila in oratione, & pœnitentiâ, & continuâ bonorum operum exercitatione: & si quando ex pigritia dormitaueris, mox euigila diligenter, siquidem nescis num hora præsens, sit futura vltima tuæ vigiliæ, in qua sis vocandus ad nuptias: & si, cum vocaberis, eris imparata; in æternum ab eis excluderis: si autem parata, ad eas admitteris, æternum in illis permanens, vt Sponso tuo IESV in æternum fruaris.

MEDITATIO LVIII.  
DE PARABOLIS  
Talentorum, & Mi-  
narum.

PUNCTVM I.

a Matt. 25.  
14.  
a Luc. 19. 13



VIDAM homo a peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuique secundum propriam virtutem.

HIC

HIC est considerandum, quæ sint ista talenta, quis illa distribuatur; & cui, & qua ratione, & in quem finem distribuantur.

PRIMUM, TALENTVM censetur esse I. id, quod necessarium est, & nobis conuenit ad nostram & proximorum nostrorum salutem conquirendam, & quidquid ad hoc iuuat: quod totum ad quinque rerum capita deduci potest. *Primum* complectitur dona & partes naturæ, tam corporis quam animæ, qualis salus, vires corporis, ingenium, sensuum viuacitas; & super hæc omnia naturale lumen rationis, iuxta illud b *signatum est super nos lumen vultus tui Domine: quod fidelibus & infidelibus est commune; & docet nos, quid sit bonum, & quid sit malum; inclinaturque ad prosequendum bonum, & fugiendum malum. Secundum* complectitur dona & partes industriam humanam conquisitas, quales sunt diuitiæ, honores, dignitates, Scientiæ, Artes liberales, virtutes morales & politicæ. Quamuis hæc omnia sint etiam Domini Dei nostri dona; & iuuare nos possint, ad nostram salutem consequendam. *Tertium* complectitur virtutes supernaturales, fidelibus communes tam bonis quam malis; quale est lumen Fidei, virtus Spei, & Ius quod habent ad vtendum sacramentis Ecclesiæ, quibus gratiam & salutem æternam acquirunt. *Quartum* complectitur ipsammet gratiam, & charitatem, cum virtutibus & donis, quæ illam comitantur; quibus meritorum æternorum & augmentum

præmiorum negotiamur. *Quintum* completitur omnes gratias gratis datas, quæ tendunt ad Ecclesiæ ædificationem & proximorum salutem; quales sunt gratiæ intelligendæ scripturas diuinas, prædicandi, docendi, donum consilij, donum conuertendi animas, & cætera Ecclesiæ officia ad eundem finem destinata. Ex his omnibus varia ac diuersa talenta conficiuntur, quæ homines habent.

II. *Qui* ea distribuit est Dominus Deus noster: quia omnia sunt eius dona, & à liberali eius manu proueniunt. Ipse enim dat bona naturæ, & fortunæ, & gratiæ: ideo quæ omnia illi accepta referri debent: & qui sibi hæc bona attribuere velit, Deum veluti excludendo, superbus esset, & indignus ijs quæ habet: quem propterea Deus illis bonis priuando, castigabit. Ideoque par est pro omnibus gratias agere, & laudare, ob liberalitatem qua in propria mancipia distribuit bona quæ habet, eo tantum fine vt illis beneficiat; & quia bonus est, & in id valdè propensus, vt quæ habet, det alijs.

III. *Hæc* talenta dantur hominibus in triplici gradu, qui significantur per tres illos seruos: vni dat Deus talenta in magna copia, quæ per numerum quinarium significatur; alijs moderatè, quod significatur per numerum binarium; alijs dat in infimo gradu, quod significatur per vnitatem. Nulli tamen horum facit iniuriam: quia nulli quicquam debet: cui autem nihil debetur, honor fit illi,

si de-

si detur aliquid. Et præterea sufficeret, quod Deus ita velit, & sua prouidentia ita statuatur; ut vel hoc nomine illud approbem & amplectar.

EADEM talenta dantur cuique secundum virtutem, hoc est iuxta capacitatem & aptitudinem quam habent ad eum finem, in quem talenta distribuuntur. Deus itaque Dominus noster nemini grauius imponit onus, quam videat ipsum posse ferre; nec ad plura quæquam obligat, quàm possit præstare. Ideoque in talentorum distributione rationem habet virium naturalium, & dispositionis, quam habet is cui illa confert: siue illam ex naturæ conditione habeat, siue postea eam sibi comparat industriâ propriâ, & inspiratione diuinâ quæ semper nos præuenit, & suauiter adiuuat; ut nos ad supernaturalia talenta recipienda & ad bonum illorum vsum disponamus.

FINIS, ob quem hæc talenta distribuuntur, est, ut nostram salutem & perfectionem & proximorum nostrorum iuxta nostras vires negotiemur. id quod S. Lucas expressius posuit dictum fuisse seruis à Domino qui decem minas seu libras tradidit, dicens illis. *c. Negotiamini dum venio*, atque si clariùs diceret: attendite, non dari vobis hanc pecuniam, ut otiosa maneat, nec ut illam prodigatis; sed ut ea negotiantes lucrum aliquod conquiratis: duo scilicet extrema vitia in vsum talentorum illis prohibens, otiositatem scilicet aut re-

IV.

V.

c. Luc. 19. 13.

missionem ex pigritia non utêdo illis; & prodigalitatē, utendo illis temere & imprudenter, cum periculo illa amittendi.

*d Epb 4. 8.*

*1. Cor. 2.  
12.*

Quò verò vigilantes & solliciti sint, adiungit, *dum venio*: quo verbo certos eos reddit, se rediturum, & rationem exacturum. Non assignat autem illis tempus reuersionis, ut negotientur semper, donec ipse reuertatur. Omni di Redemptor, qui *descendens in altum dedisti dona hominibus*, distribuens varia talenta & gratias discipulis tuis in proprium & Ecclesiæ tuæ bonum; da mihi *espiritum non huius mundi sed qui ex te procedit, ut sciam quæ à te mihi donata sunt*. Si enim talenta non nouero, nec gratias agere pro illis, nec iisdem negotiari sciuerō: sed fac me ita demisse ea cognoscere, ut non decipiar, plura esse aut maiora existimans, quàm re ipsa sint. Da mihi etiam Domine ita me illis contentum esse, quæ mihi dedisti; ut neque ex superbia eos contempnam, qui pauciora habent; nec illis inuideam, qui habent plura: sed huic rei solum intendam, ut tibi eo placeam, quod mihi dedisti, siue parum siue multum illud sit. Denique concede, ut tui aduentûs ad rationem à me exigendâ semper sim memor, ut sollicitè semper negotier, quæ tunc vellem me esse negotiatum: Nec vlla mihi prætereat dies absq; aliqua negotiatione; siquidem tibi displicet, me vel ad momentum esse otiosum, ut morte me negotiantem inueniente, tu in sanctum tuum Regnum admittas. Amen.

## PUNCTVM II.

**A**BIIT qui quinq; talenta acceperat, & a Mat. 25. 16  
 operatus est in eis, & lucratus est alia  
 quinq; similiter & qui duo talenta ac-  
 ceperat: lucratus est alia duo. Qui autem vnum  
 acceperat, abiens fodit in terram & abscondit  
 pecuniam Domini sui.

CONSIDERANDVM primò maiorem aut  
 minorem profectum nostrum spiritualē non  
 tam in acceptis talentis consistere, quàm in  
 maiori aut minori sollicitudine & diligentia  
 in laborando & negotiādo cum illis: nam qui  
 accepit quinque talenta, potuit illa fodere  
 ob pigritiam & remissionem; sicut qui vnum  
 acceperat: & qui accepit vnum; potuisset di-  
 ligenter negotiando alterum lucrari, sicut fe-  
 cerunt qui plura acceperant. Culpa itaque  
 sua piger non negotiatur; feruens verò dili-  
 gentia sua perficit, cooperante illi Dei gra-  
 tia, quæ illum præuenit, & liberum eius arbi-  
 trium adiuuat. Ad quod magis declarandum  
 dicit S. Lucas, vnum ex seruis qui vnā *minam* b Luc. 19. 16  
 acceperat *decem minas* esse lucratum; alterū  
 verò *vna etiam mina quinque lucratum esse*.  
 Ut appareat, lucrum illud ex diligentia ser-  
 uorum cum auxilio gratiæ Dei prouenisse:  
 quod ipsi insinuant dicentes, Domine mina  
 tua fecit alias decem, atque si diceret: *cñō ego* c 1. Cor. 15.  
*solus* sed ego in virtute illius; & illa plus quā 10.  
*ego; iuxta illud Apostoli e gratia Dei mecum*.  
 Quare attēde anima mea quid agas, & manus  
 tuas appone ad laborem; quia Dei Dñi tui ma-

¶ *Psal. 58. 12*

¶ *Psal. 22. 6*

nuste semper comitabitur, & *misericordia eius proueniet te; eritq; tibi in auxilium, & subsequetur te omnibus diebus uitae tuae, nisi tu tibi desis.*

II.

¶ *Cor. 15. 10.*

DEINDE considerandum est Christum Dominum nostrum, feruentium & diligentium exemplum posuisse in eo qui quinque talenta acceperat, & eo qui duo: quia ut plurimum, qui magnas facultates acceperunt, magnum recipiunt animum & fiduciam, ad laborandum, (sicut mercatores diuites solent) & ita sese in magnas occasiones inferunt, in quibus plurimum lucrantur; modò tamen humilitatem seruent, feruorem illum suum non soli arbitrio suo tribuentes, sed praecipue diuinae gratiae, sicut Apostolus faciebat, cum diceret *se abundantius ceteris Apostolis laborasse; non ego autem, inquit, sed gratia Dei mecum,* Contra uero posuit Christus exemplum pigrorum & negligentium in eo, qui unum tantum talentum acceperat: nam qui curiam habet suppletilem, nisi valde sint humiles, facile conqueruntur, inuidia mouentur, & pusillanimes fiunt: ideoque facile se pigritiae dedunt. Et si alia talenta forte habeant rerum terrenarum & carnis, applicant se ad quaerenda bona terrena, sepelientes in terram illud quod acceperant ad conquirenda bona Caelestia. O Deus animae meae! utinam tantum ego curae in negotiando meo talento bona aeterna ponerem, quantum mundi negotiatores ponunt in conquirendis bonis temporalibus!

ne per-



ne permittas Domine adeò pretiosa talenta sepeliri, & occultari sub adeò vili operculo. Aduua me vt ita illis vtar, vt ea duplicem ac reduplicem cum ingenti lucro, siquidem nullum huic terminum assignasti.

DENIQUE est considerandum, bonum negotiatorem omnibus talentis, quæ habet, & singulis eorum negotiari debere: nam de omnibus & singulis ratio exigitur à Deo. Et quò plura recepit, eò maior erit illi ratio reddenda, nisi illis operetur: vt enim S. Greg. ait: *cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.*

## PUNCTVM III.

**P**OST multum a verò temporis venit Dominus seruatorum illorum, & posuit rationem cum eis: & accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens, Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratum sum. At illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

PRIMUM est considerandum: aduentum Christi Domini nostri, ad accipiendas rationes à suis seruis, esse post multum tempus: tum propter aduentum ad vniuersale iudicium, quod in longum tempus protrahitur; tum vt significetur, ipsum sufficiens tempus, immò ultra quam opus esset, seruis suis dare ad negotiandum, quæ illis ad salutem suam sunt ne-

cessa-

III

Hom. 9. in  
Euang.a Matt. 25  
19.

L

cessaria, ita ut nullus homo, qui rationi locum dare velit, conqueri possit, defuisse sibi tempus, quo, si voluisset ad Deum conuerteretur: si autem, cum iam vellet conuerti, deficit illi vita, ipse est culpa: nam temporis satis habuit, ad procurandam æternam.

## II.

DEINDE consideranda est magna fiducia & securitas, quæ feruentes habent in hora mortis, & rationis reddendæ: quia vident se posse reddere bonam. Vident enim quid acceperint ad negotiandum, & quid sint lucrati: & ita confidenter dicunt, *quinq; talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum*: quia auxi dona gratiæ tuæ, unæ accepi, quibus negotiando alia denuò conquisiui. O felix feruor, qui tantam adfers securitatem in occasione tam iusti timoris!

## III.

TERTIO considerandum præmium, quod Christus Redemptor noster tali seruo largitur, bonum eum & fidelem compellans; bonum quia sanctè vixit, Dei legem custodiens; fidelem, quia acceptis donis & gratis fideliter usus est: quæ etsi magna in se sint, collata tamè cum æternis, parua iudicantur: & propterea illi dicitur, *quia super pauca fuisti fidelis, qualia sunt quæ in hac vita mortali dantur, supra multa te in cælo constituam*, plurima & magna tibi conferens beneficia: *intra in gaudium Domini tui, & merge te in abyssu voluptatum cœlestium, ut intus & extra gaudio replearis, & binebrieris ab vbertate domus meæ, & torrente voluptatis meæ poteris & lacteris. O gaudium*

b Psal. 35. 9.

dium

diu immensum! gaudium æternum! gaudiũ dignum Deo! ò felicem negotiationem, qua cœleste gaudium conquiritur, *c quod nemo tollet à vobis.* c Ioa. 16. 22

DENIQUE perpendendum, eadem verba fuisse dicta ei: qui duobus talentis lucratus est alia duo: vt instruamur, ad mercedem cœlestē maiorem diligentia in operando, quam numeri talentorum rationem haberi. Quare si is qui duo tantum acceperat, tantũ in negotiãdo laboris, posuit atq; is qui accepit quinque; æquale cum eo præmium accipiet: & nihilominus, qui plus laborando magis talenta auget, maius etiam referet præmium, vt ipse Christus distinctiũs declarauit in parabola minarum: ei enim, qui vnã minã lucratus est decem; quoniam eius diligentia fuerit maior, decem ei dedit ciuitates: ei verò, qui vna quoque mina lucratus est quinque; quia eius diligentia fuit minor, quinque tantum ciuitates accepit. Quare ò anima mea omni tempore, & omni quo possis feruore labora: habet enim Deus in cœlo multas mansiones. Quare si vnã minã aut talento potes decem ciuitates promereri, decem videlicet excellentes gradus gloriæ, noli quinque esse contentus: id verò non tam facias ob proprium lucrum, quàm ob eius maiorem amorem, qui dignus est infinitè diligi amore in æternum. A.

men.

IV.

## PUNCTVM IV.

a Matth.  
25.24.

**A**CCEDENS autem & qui vnum tale  
talentum acceperat, ait, Domine, scio quia  
homo durus es, metis vbi non seminasti,  
& congregas vbi non sparsisti: & timens abij, &  
abscondi talentum tuum in terra: ecce habes,  
quod tuum est.

IN hac sententia proponitur nobis serui  
pigri malitia, qui vt pigritiam suam conte-  
gat, fingit difficultates & graua pericula, ti-  
met vbi non est cur timeatur; sicut & nunc fa-  
ciunt multi. Alij enim sepeliunt talentum o-  
rationis & contemplationis, eamque pro-  
pterea omittunt, quia timent se decipiendos;  
Alii abscondunt talentum concionandi & a-  
gendi cum proximis timetes ne se ipsos perdant;  
Alii adhuc peiores, obseruationem diuinæ  
legis abiiciunt fingentes in ea tantam asperi-  
tatem, vt non possint ipsi eam seruare; Deum  
ipsum seueritatis nimie in se insimulantes,  
quod fructum colligere velit, vbi non semi-  
nauit: quia ipsis non dans vires & virtutem,  
vult vt fructum ferant bonorum operum. O  
cœcitatem execrandam! ô maledictam pi-  
gritiam, quæ vt culpam à te remoueas, in Deum  
ipsum illam coniicis! ô Redemptor mi, mul-  
tò aliter, quam malus iste seruus, dico ego de  
te, quod optimè sciam, te hominem esse non  
d durum sed blandum & benignum; non cru-  
delem sed misericordem, nec vnquam velle  
colligere ex eo quod non seminaueris: nisi  
enim

enim prius tu semines talentorum tuorum  
femina, impossibile est fructus aliquos pro-  
uenire, adeoque procul es à colligendo, vbi  
non seminasti, vt sãpè multa seminans pa-  
rum colligas: tantaque est tua leuitas, vt vel  
exiguo lucro sis contentus.

RESPONDENS b autem Dominus eius, b Matth.  
dixit ei, serue male, & piger, sciebas quia meto 25.26.  
vbi non semino, & congreco vbi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum. & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

TRIA in tremenda hac sententia sunt  
consideranda. Primum est, asperrima illa Do-  
mini reprehensio, ad ingentem mali serui  
pudorem: quæ enim maior confusio esse po-  
test, quam ab ipso Deo, coram Angelis suis,  
seruo obiici, quod sit malus, piger, inutilis, &  
infidelis? & quæ maior ignominia, quam ex  
proprijs verbis & rationibus conuinci; sicut  
sanctus Lucas narrat, huic seruo dictum e ex  
ore tuo te iudiso serue nequam: sciebas quod ego  
homo austerus sum, tollens quod non posui, &  
metens quod non seminavi! quanto ergo ma-  
gis oportuit te scire, velle me colligere fru-  
ctum ex talento, quod tibi concredidi? Se-  
cundum fuit, quod traditum illi talentum,

I.

c Luc. 19. 22

II.

III. Part. Med.

T t

abstu-

abstulerit; & spoliauerit omnibus bonis gratiæ, & ijs quæ ipsius nature fuerat superaddita, in poenam pigritiæ ipsius: Quam interdum etiam infert Deus in hac vita, ijs, qui acceptis talentis non utuntur: sicut etiam permittit interdum amittere fidem eum, qui male illa utitur. Sed in altera vita sine spe remedii illis spoliantur: sicut in prima parte obseruauimus. Quod verò hic iubetur talentum huius nequam serui, dari ei qui habet decem talenta, significat, sanctos ex omnibus haurire gloriam accidentalem, tam ex bono propriorum talentorum vsu; quàm ex donis à Deo aliis vel liberaliter communicatis; vel ex iustitia quam ipsi venerantur, ablati.

*Medit. 9.*

III.

TERTIVM fuit horrendum, quod *miserit eum in tenebras exteriores*, & extremas inferni, vbi æternùm flet, rabieque agatur ob inutilem suam pigritiam. Quod si talis poena ei infertur, qui ex pigritia non utitur talento accepto; qualem censuimus ei dandam, qui accepto talento utitur in iniuriam ipsius Dei, & scandalum aut detrimentum proximi? O Deus æterne, iustè Iudex & sancte, ne mecum intres in iudicium seuerum! Scio enim, quod ex meis verbis possis me iustè condemnare. Promeritus enim eram, talentis mihi concessis priuari: eò quòd illa sepeliuisssem: Sed quandoquidem tua misericordia me hactenus sustinuisti, adiuua me illa exhumare, vt

illis

illis negociando & conquirendo quod à  
me petis, obtineam quod mihi  
promittis ; & tecum reg-  
nem in æternum.  
Amen.

FINIS TERTIAE PARTIS.

